

716.1. c. 95. 55

THOMAS CANTIMPRATENSIS

LIBER
DE NATURA RERUM

EDITIO PRINCEPS SECUNDUM CODICES MANUSCRIPTOS

TEIL I: TEXT



WALTER DE GRUYTER · BERLIN · NEW YORK

1973

virorum ac mulierum. Hec bestia antra habet super aquas et foveas, in quibus habitat et fetus facit. Piscibus vivit et hos mirabili frequentia venatur. Qui licet diu vivere possit sub aquis, respiraculum tamen trahit ab aere. Unde aliquando accidit, ut, cum gurgustium, instrumentum scilicet ad capiendos pisces ex virgulis factum, ingreditur gratia depredandi, cum nolit predam relinquere et per locum per quem ingressus est redire non possit, quia hoc modus dispositionis gurgustii prohibet, et ipsum instrumentum tam cito discerpere non valeat, oportet eum in aquis interim suffocari, quia spiritum in aere recuperare non potuit. Quidam hoc instrumentum nassam dicunt. Hec bestia tanta aviditate cibi cupida et avara est, quod pisces captos in specu suo, in quo delitescit, in tanto cumulo congregat, quod ex nimio fetore corruptionis contracto de putridis piscibus non solum antrum, sed etiam aerem inficit, quod non sine periculo sui aliqui, qui hanc bestiam capere voluerunt, experti sunt. Hec bestia domesticatur aliquando a piscatoribus et arte inducitur, quod pisces cogat suo circuitu pericula retium ingredi et capi eius iuvamine. Unde magnum emolumentum dominis suis prestare videtur.

LXVII. De locusta quadrupede animali, que locusta Iohannis baptiste dicitur. Locusta animal est quadrupes, ut dicit Iacobus, in orientis partibus habitans circa partes Ierosolime. Hoc animal admodum parvum est, sed ut illi dicunt, qui hoc animal viderunt, caput magnum habet et carnosum et comestibile. Unde legitur in evangelio, quod Iohannes baptista horum animalium tantum carnibus vescabatur. Dicunt tamen quidam monachi, qui circa solitudines Iordanis manent, ut Iacobus episcopus refert, quod locusta herba est in illis partibus dulcis ad comedendum, qua utique vescabatur Iohannes baptista, non locustis animalibus. Herbam vero vocari dicebant vulgari nomine langustam, sed locustam recto nomine nuncupari. E contrario Augustinus dicit super illum locum, quod locuste animalia fuerunt, non herbe. Magis ergo credendum est Augustino et ipsi Glose que hoc dicit. Hinc tamen notandum est, quod locusta vermis et locusta animal quadrupes in hoc multum differunt, cum locusta vermis parva sit, locusta vero animal quo Iohannes usus est magnum prope ad modum cuniculi. Hoc animal gregatim incedit; unde Salomon: *Regem locusta non habet et tamen egreditur per turmas* suas, quod utique de locusta verme minime dici potest, quia locuste vermes per turmas non egrediuntur, sed solitarie incedunt. De hiis locustis videtur dicere Aristoteles. Dicit enim, quod quedam femina nutrit locustam ab eo tempore, quo parva fuit et iuvenis. Cum autem crevisset, invenit eam impregnatam per se et sine masculo. In hoc ergo videtur, quod locusta animal quadrupes est et per se aliquando generat locusta femina, que non habet marem.

LXVIII. De mulo. Mulus, ut dicit Liber rerum, animal est viribus in labore eximium, ex adulterina commixtione seminum asini et equi. Hec propria habet:

asini aures longas, hinnitum horridum, crucem in humeris, pedes exiguos et corpus macilentum; reliqua vero habet ut equus.

Muli et burdones et huiusmodi animalia, que ex diversis animalibus generantur, propriam speciem non habent. Unde si relinquuntur, sibi deficiunt. Vere autem species sunt et non alie, que, si relinquuntur, nature perpetue sunt.

Mule nunquam concipere possunt. Unde fit, ut nequaquam eorum natura ex seminis posteritate proprietatem generationis accipiat. Semper enim oportet, ut in procreatione muli asinus et equus conveniant. Et hec est causa, quare non possunt mule concipere: menstrui superfluitas transit cum cibo in mulabus in nutrimentum corporum earum. Ipse vero sanguis, quo non indiget natura, exit cum superfluitate vesicæ. Alia vero ratio est, quare concipere non possunt mule, quoniam animal contra naturam generatum est et eius natura diversificata est in equo, qui calide nature est, et in asina, que summe frigiditatis est. Non ergo potest esse in fetu diversifice generato et male complexionato concordantia partium et ordinata natura, ut quasi ex propria substantia sui sibi simile generet, qui nullam propriam sui generis substantiam habere dinoscitur, licet ex propriis substantiis equi et asini sit nature amminiculo generatus.

|| Mulus quanto plus bibit quando pullus est, tanto maior fit et fortior.

Plinius dicit, ex duobus diversis generibus nata tertii generis fieri et neutri parentum esse similia, eaque nata non gignere in omni genere animalium certum est. In annalibus Romanorum est: peperisse sepe mulas; sed prodigii loco habitum. Ut dicit Plinius, mule calcitratus inhibetur vini crebriore potu. De asino et de equa generantur muli, et de asina et de equo burduli.

LXIX. De monocrote. Monocrotos, ut dicunt Solinus et Plinius, monstrum est mugitu horrido, equino corpore, elephantis pedibus, cauda suilla, capite cervino. Cornu ex media fronte producitur splendore mirificum, longitudine pedum quatuor, ita acutum, ut quicquid impetat, facile ictu eius perforatur. Captum potest perimi, sed nunquam domari. Dicit tamen Iacobus, quod nunquam vivum venit in hominis potestatem, et interimi quidem possit, sed non capi, quia vinci se cernens vitam furore exiit.

LXX. De moloso. Molosus bestia est, ut dicit Adelinus, admodum magna, que in pluribus orbis partibus reperitur. Hec truculentos hostes quasi ad hoc creata persequitur. Rictus magnos et ingentes habet, dentes fortes et prominentes, cum quibus audacter partitur bella cum adversariis. Que cum hominibus fortibus terribilis et horrenda sit audacterque grassetur in obvios, tamen puerorum innocentiam et eorum parvitatem mirabiliter perhorrescit fugitque eorum verbera, et in hoc digne innocentie magnificentia comprobatur. Et non mirum, quia feritas bestiarum non ad destruendam innocentiam, sed ad puniendam nocentiam atque malitiam hominum est creata.